An. et vol. XXXXV 15 Novembris 1953 (Ser. II, v. XX) - N. 14

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Spedizione in abbonamento postale - Gruppo III

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Impositio Galeri rubri Patribus Cardinalibus, p. 657 - Epistulae, p. 658 - Allocutiones, p. 666 - Nuntius, p. 691.

Acta Tribunalium: *S. Paenitentiaria Apostolica*: Decretum. Favores spirituales conceduntur occasione Anni Mariani, p. 696 - *S. R. Rota*: Citationes edictales, p. 698.

Diarium Romanae Curiae: Udienze solenni - Segreteria di Stato: Assegnazioni di Titoli cardinalizi - Nomine - Necrologio, pp. 700-704.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · LIII

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 1300 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 5

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 100 — extra Italiam, Lib. 190 vel $ 0,30

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXV, n. 14 - 15 Novembris 1953)

ACTA PII PP. XII

IMPOSITIO GALERI RUBRI PATRIBUS CARDINALIBUS

PAG.

29 Octobris 1953. 657

EPISTULAE

I. *Opportuno sane consilio.* - Ad Revmum P. Petrum Abellán, S. I., Rectorem Magnificum Pont. Studiorum Universitatis Gregorianae in Urbe: quarto expleto saeculo ab eiusdem Universitatis constitutione. - 12 Augusti 1953. 658

II. *Cum Foederatarum Americae.* - Ad Excmum P. D. Martinum Ioannem O'Connor, Episcopum tit. Thespiensem, Rectorem Pontificii Collegii Foederatarum Americae Civitatum in Urbe. - 13 Septembris 1953. . . 664

III. *Quum octogesimum aetatis.* - Ad Emum P. D. Fridericum Episcopum Tusculanum S. R. E. Cardinalem Tedeschini, Patriarchalis Basilicae Vaticanae Archipresbyterum, Sacri Consilii Petrianae Fabricae Praefectum eumdemque suum Datarium, sexdecim a die natali lustra fauste implentem. - 3 Octobris 1953. . 665

ALLOCUTIONES

I. Iis qui interfuerunt Conventui internationali sexto de « Microbiologia », Romae habito. - 13 Septembris 1953. 666

II. Sodalibus Ordinis S. Benedicti, qui Conventui e Congregationibus Confederatis Romae interfuerunt. - 24 Septembris 1953. 671

III. Iis qui interfuerunt Conventui XXVI a Sodalitate Italica de Urologia indicto. - 8 Octobris 1953. 673

IV. Emis PP. DD. Cardinalibus atque Excmis PP. Archiepiscopis et Episcopis ceterisque adstantibus Benedictioni ab Ipso Summo Pontifice impertitae Aedibus in colle Ianiculo Urbis exstructis ad novam Sedem Pontificii Collegii Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis. - 14 Octobris 1953. 679

V. Adstantibus Emo P. D. Cardinali Magno Cancellario, Revmis Moderatoribus ac Doctoribus Decurialibus Pontificiae Gregorianae Studiorum Universitatis ceterisque praeclaris viris atque olim alumnis, qui convenerant ad celebrandum quartum expletum saeculum ab eadem Universitate condita. - 17 Octobris 1953. . 682

NUNTIUS

Episcopis, Sacerdotibus, cunctisque per Orbem Evangelii praeconibus atque cooperatoribus: ob diem pro Missionibus datus. - 18 Octobris 1953. 691

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Decretum. Favores spirituales conceduntur occasione Anni Mariani. - 11 Novembris 1953. 696

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales:

I. *Albanen. in America.* - Nullitatis matrimonii (Sgamblore-Wereley). - 3 Octobris 1953. 698

II. *Madisonien.* - Nullitatis matrimonii (Pankhurst-Conrad). - 27 Octobris 1953. 699

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienze solenni 700

II. Segreteria di Stato: *Assegnazioni di Titoli cardinalizi e Nomine* . . . 700

III. Necrologio 704

LIBRERIA EDITRICE VATICANA

ORDO DIVINI OFFICII RECITANDI SACRIQUE PERAGENDI

PRO CLERO SAECULARI ROMANO

PRO ANNO DOMINI 1954

Lit. 280 ($ 0,50)

An. et vol. XXXXV 15 Novembris 1953 (Ser. II, v. XX) - N. 14

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

IMPOSITIO GALERI RUBRI PATRIBUS CARDINALIBUS

Feria V, die XXIX mensis Octobris anno MCMLIII, Summus Pontifex, sueto ritu, Galerum rubrum Pontificalem tradidit Emis et Revmis Cardinalibus Caietano Cicognani, Angelo Iosepho Roncalli, Petro Ciriaci, Beniamino de Arriba y Castro, Fernando Quiroga y Palacios, in Consistorio secreto diei XII mensis Ianuarii vertentis anni creatis.

Subinde Beatissimus Pater eisdem Emis Patribus tradidit anulos singulisque assignavit:

CAIETANO CICOGNANI, *Titulum S. Caeciliae.*

ANGELO IOSEPHO RONCALLI, *Titulum S. Priscae.*

PETRO CIRIACI, *Titulum S. Praxedis.*

BENIAMINO DE ARRIBA Y CASTRO, *Titulum S. Vitalis.*

FERNANDO QUIROGA Y PALACIOS, *Titulum S. Augustini.*

EPISTULAE

I

AD REVM̃UM P. PETRUM ABELLÁN, S. I., RECTOREM MAGNIFICUM PONT. STUDIORUM UNIVERSITATIS GREGORIANAE IN URBE: QUARTO EXPLETO SAECULO AB EIUSDEM UNIVERSITATIS CONSTITUTIONE.

PIUS PP. XII

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Opportuno sane consilio voluit Pontificia Studiorum Universitas Gregoriana memoriam quarti expleti a sua constitutione saeculi sollemni celebratione frequentique alumnorum et doctorum virorum ex omni gente concursu, renovare, ut debitae primum Deo grates persolverentur pro tot tantisque beneficiis per haec saecula in se collatis, atque ut animorum coniunctio cum antiquis recentibusque alumnis cumque ceteris Academiis et Athenaeis, iis praesertim quae sacros administros instituendos curant, in commune honum omni ope proveheretur.

Etenim, superiorum temporum res gestas recognoscentes, gratos in primis nos esse decet erga Deum, qui iactum medio saeculo decimo sexto a Sancto Ignatio semen ita voluit beneficiorum imbre irrigatum, ut saeculorum decursu quasi alta arbor in dies grandescens, viris recondita eruditione ornatis Ecclesiam Catholicam honestaverit, protulerit praeclara omnis doctrinae monumenta, ac lucem veritatis, alumnis ministris, in caligantem mundum late diffuderit.

Siquidem Gregoriana Universitas quae est « Pontificium disciplinarum ecclesiasticarum *Studium* generale, proxime subiectum auctoritati ipsius Summi Pontificis, qui eidem moderatur per Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus, rectionem vero et procurationem Societati Iesu commisit » (*Statuta*, a. 1, § 1), in eum nobilissimum finem est condita « ut esset in Urbe quoddam omnium nationum Seminarium, Ecclesiae continenter suppeditans electam doctorum copiam, qui genuinam Iesu Christi doctrinam Romae e sincerissimis fontibus haustam, una cum reverentia, amore, fidelitate erga Beati Petri Cathedram per totum orbem propagarent atque diffunderent » (*Statuta* a. 1, § 2).

Haec autem et Studiorum et Alumnorum *universalitas*, haec integra semper erga Sedem Romanam fides, hic spiritus apostolicus in Dei mini-

stris instituendis, eximiae sunt huius Universitatis proprietates, quae cum illam quattuor iam saeculis ornaverint, nostra maxime aetate, Deo favente, decorant.

Enim vero Collegium Romanum, quod Sanctus Ignatius de Loyola humillimis quidem initiis, angusta in domo, sub Capitolino monte inchoaverat anno millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, iam post duos annos, cum adhuc sanctus eius conditor viveret, *Studium* generale factum est, coniunxitque cum liberalibus artibus Philosophiae ac Theologiae disciplinas, quibus, facta a Romanis Pontificibus potestate conferendi gradus academicos aequo iure atque celeberrimae eius aetatis Academiae, Parisiensis nempe, Salmanticensis, Lovaniensis, Complutensis, verae Universitatis naturam induit. Additis tandem seriore tempore ex Summorum Pontificum concessu et munere, *Facultatibus* iuris Canonici, Historiae Ecclesiasticae et Missiologiae, consociatisque a Decessore Nostro fel. rec. Pio XI Pontificiis Institutis Biblico et Orientalium Studiorum, — his tamen proprio iure fruentibus — feliciter evasit, ut eiusdem Decessoris Nostri verbis utamur, « vera, perfecta pleneque ad temporum necessitates accomodata studiorum omnium ecclesiasticorum Universitas » (Pius XI, *Motu Proprio* « Quod Maxime », 30 Sept. 1927).

Iure igitur meritoque factum est, ut « tot inter Athenaea in hoc christiani orbis centro feliciter erecta vel auspicato erigenda una proprii ac veri nominis Universitas seu omnium sacrarum disciplinarum studium generale et plenius fieret et apertius appareret », sicuti idem Decessor Noster habet in Litteris Apostolicis « *Gregorianam Studiorum Universitatem* » die XXI mensis Iunii, anno MDCCCCXXXII, quibus Nosmetipsi, eo tempore Cardinalis a publicis Ecclesiae negotiis munere fungentes, nomen subscripsimus, quasque nunc ad Romanam Cathedram evecti libenter confirmamus.

His porro veri nominis *Facultatibus,* aliae accessere ex Summorum Pontificum voluntate disciplinae in hoc Athenaeo tradendae, ut Schola Theologiae Asceticae, Schola Superior Litterarum Latinarum, Altius pro laicis religionis Magisterium. Ac praeterea, ex Pontificum hortationibus, qui rerum socialium studium nostra aetate pernecessarium summa cura saepenumero inculcarunt, Institutum Socialium disciplinarum cum Philosophiae *Facultate* coniunctum, laudabiliter conditum est laetosque iam reddit fructus.

Nec modo *Studiorum*, verum etiam *Gentium Universitas* iure optimo potest Gregoriana Universitas appellari. Iam enim a principio ea fuit Sancti Ignatii mens Summorumque Pontificum voluntas, ut Collegium Romanum esset sacrorum administrorum seminarium, in quod adulescen-

tes sacris initiandi ex omni orbe confluerent, ut, ad pietatem informati sacrisque eruditi disciplinis, quae hic didicissent, efficacius deinde in variis gentibus verbo spargerent et exemplo moribusque confirmarent. Itaque brevi factum est, ut studiosa variarum gentium iuventus Romae sua haberet collegia, Universitatis Gregorianae magistris operam datura. Et iam quadraginta clericorum *saecularium* collegia et octoginta Religiosorum virorum Ordines et Congregationes suos ad hanc Studiorum Universitatem alumnos mittunt instituendos, quae mirabile proinde praebet unius universalisque Ecclesiae Catholicae exemplum. Hoc videlicet praeviderat fel. rec. Gregorius XIII Decessor Noster, cuius nomen accepit haec Studiorum Universitas, quique cum auspicali lapide novi Collegii summa munificentia extruendi, nummi demitterentur voluit, ad rem procusi, et Pontificis propositum hisce insculptis verbis referentes: « Collegium Omnium Nationum, Omnium Nationum Seminarium ».

Quam uberes vero fructus ex hac Universitate Studiorum in Ecclesiae bonum expectarentur, satis probarunt assidua et perpetua cura studiumque singulare, quibus statim ab initio Romani Pontifices hoc opus sunt prosequuti. Summa enim cum Apostolica Sede coniunctio et ex vicinitate et ex Magistrorum animis illius studiosissimis orta, de integritate doctrinae deque amore ac fidelitate erga Petri Successores spondebat. Nec decepta est exspectatio; siquidem alumni ex quavis regione, nullo habito religionis discrimine, Romani Collegii auditoria frequentarunt, et in patriam dein, studiis peractis, reversi, integram sinceramque catholicae fidei doctrinam praedicarunt, et amorem coniunctionemque cum Sede Apostolica promoverunt fortes ac fideles, fusoque haud raro sanguine consecrarunt.

Non sine ratione igitur Universitas Gregoriana, superiorum temporum monumenta evolvens, patronum suum Robertum Bellarminum delegit, praeclarum illum Ecclesiae Doctorem et Cardinalem quem olim Professorem Rectoremque habuit; cuius ipsum nomen laborem sonat adsiduum Sedique Apostolicae obsequentem; cuius eximia doctrina et praeclara volumina « De controversiis christianae fidei » novam in re theologica viam aperuerunt iisque omnibus arma validissima pararunt, qui futuri erant post ipsum catholicae fidei assertores.

Bellarminum vero alii secuti sunt huius Athenaei Doctores, qui recondita sua in sacris disciplinis eruditione egregiam dederunt operam Sanctae Sedi, sive in amplissimis gerendis muneribus, sive consultores adiuvando Sacra Ecclesiae Consilia, sive haud parum laboris conferentes ad eius insigniora acta paranda, ut fuerunt Calendarii refor-

matio a Gregorio XIII confecta, Vaticana Synodus Oecumenica, sollemnes definitiones dogmaticae de Immaculato Beatae Virginis Conceptu, deque eius gloriosa in Caelum Assumptione.

Hanc vero Professorum Alumnorumque in catholica fide tuenda integritatem, eorumque operam Sedi Apostolicae assidue ab iisdem praestitam, numquam Decessores nostri non agnoverunt apertis verbis; quae quidem nunc in memoriam revocantes facimus nostra. Haec siquidem Leo XII in Litteris Apostolicis « Cum multa » die XVII mensis Maii, anno MDCCCXXIV datis, praeteritam recolens aetatem sollemniter asserit: « Cum multa in Urbe hac Nostra fuerint a Summis Pontificibus providentissime constituta, quae ad salutem et commodum Christiani populi maxime pertinent, eminet certe inter ea Romanum Collegium quod religioni et bonis moribus tradendis, ex fel. rec. Gregorii XIII liberalitate, molitione ingenti ac magnificentissima exstructum, insignia semper impensae sollicitudinis paternaeque dilectionis testimonia a Praedecessoribus Nostris omni aetate est promeritum ». Et expleto ab his prolatis verbis saeculo, Decessor Noster fel. rec. Pius XI, haec, quae sequuntur, asserere non dubitavit: « Recolentibus enim Nobis res ab Athenaei restitutione gestas, bene multa occurrunt unde comprobatur talem illius magistros operam Apostolicae huic Sedi per id temporis spatium praestitisse, quae omnem ipsius expectationem abunde compleret » (Pius XI, Litt. Apost. « *Ea inter opera* », d. d. V mensis Maii, a. MDCCCCXXIV).

Cum autem idem Decessor Noster Pius XI statuit ut Magnus Cancellarius Pontificiae Universitatis Gregorianae et Pontificiorum Institutorum Biblici et Orientalis cum eadem consociatorum, esset in posterum S. R. E. Cardinalis Praefectus pro tempore Sacrae Congregationis Seminariis et Studiorum Universitatibus praepositae, hoc insigne benevolentiae pignus concessit « singularibus prorsus peculiaris subiectionis ac vigilantiae nexibus attentis, quibus Gregoriana Universitas Apostolicae huic Sedi ita iugiter devincta est atque etiam nunc, si unquam alias, devincitur » (Pius XI, « *Gregorianam Studiorum Universitatem* », Litt. Apost. d. d. XXI mensis Iunii, a. MDCCCCXXXII).

Hanc denique peculiarem Sedis Apostolicae potestatem in Universitatem Gregorianam, idem Summus Pontifex Pius XI iterum significavit, eam volens « in Lateranensibus quoque Pactionibus cum Regno Italico initis, qua Pontificiam rem agnitam peculiaribusque iuribus ornatam » (Pius XI, *Gregorianam Studiorum Universitatem* », d. d. XXI, mensis Iunii, a. MDCCCCXXXII).

Quae clarissima Romanorum Pontificum in Universitatem Gregoria-

nam benevolentiae signa, caelestium donorum pignora ei semper exstiterunt.

Voluit enim Omnipotens Deus ex eius alumnis, tam recte ac Sedis Apostolicae amorem et obsequium informatis, plurimos ex quavis mundi plaga ad episcopale munus evehere; voluit multos, qui ipsi Pontifici Maximo assisterent consilio, in amplissimum ordinem Purpuratorum Patrum cooptare; voluit ex his tredecim ad supremi Pontificatus honores extollere, quorum nomina inter Pontifices praeclariores refulgent: Gregorium XV dicimus, Urbanum VIII, Innocentium X, Clementem IX, Clementem X, Innocentium XII, Clementem XI, Innocentium XIII, Clementem XII, Leonem XIII, Benedictum XV, Pium XI; voluit denique inscrutabili suae Providentiae consilio Nos etiam, qui iuvenili aetate scholas Gregorianas frequentavimus, ad Romanae Cathedrae fastigium perducere.

Ne vero nimii simus in viris illis recolendis, qui spectatae virtutis exemplo enituere, eos saltem Nobis liceat commemorare, qui Sanctorum Caelitum honores habuerunt: Robertum Bellarminum, Camillum de Lellis, Leonardum a Portu Mauritio, Ioannem Baptistam De Rossi, Ioannem Leonardi, Aloisium Gonzaga, Ioannem Berchmans; quibus plurimi addendi sunt in Beatorum numerum relati, qui vel eximia virtutum omnium exercitatione excelluerunt, vel suo purpurati sanguine per vulnera et mortem praeclarum amoris testimonium erga Christum eiusque Ecclesiam dederunt.

Haec igitur maiorum vestrorum praeclara virtutum et doctrinae exempla, vobis, Almae Matris Professores et Alumni, tutum ac gloriosum iter commonstrant, et ad illud pro viribus insistendum vehementer hortantur. Pergatis fovere in vestro Athenaeo studiorum et gentium universitatem, ut eius conditor et Romani Pontifices voluerunt et Universitatis nomen requirit; pergatis tenere perfectissimam doctrinae et caritatis unitatem, eamque perfirmam cum Petri Sede communionem defendere; pergatis apostolicum illum animum excolere et exercere, quo tantum maiores vestri valuerunt. Gloriatur merito Athenaeum vestrum pari semper gressu se doctrinarum progressiones persecutum esse, immutabili veritati mordicus haerens, in veri indagatione numquam iners. Heic longa humaniorum litterarum experientia et usus, mirabilem illum Codicem paravit, seu « Rationem Studiorum », quae fuit per saecula constante fama notissima; heic philosophiam perennem, prudenter ceterarum disciplinarum progressibus aptastis, sancteque servato antiquorum theologorum thesauro, ad studium etiam SS. Patrum, Theologiae Moralis, Sacrorum Canonum, Historiae Ecclesiasticae vos contulistis.

Quare, cum Leo XIII, Decessor Noster imm. mem., innovare voluit Philosophiam et Theologiam per instauratum Angelici Doctoris doctrinae studium, fidissimis eius sectatoribus voluistis annumerari. Sic pariter nostro tempore, cum docendi discendique ratio in sacris disciplinis esset ad novas necessitates amplificanda; aliis institutis magisteriis, quibus apti doctores ad subtiliores amplioresque doctrinas appararentur, novas de altioribus studiis normas condidistis, quas Constitutio Apostolica « Deus scientiarum Dominus » postea confirmavit, et quas vos etiamnunc pergitis cum fide et utiliter servare. Curate igitur ut gloriosa haec a maioribus tradita studiorum ratio maneat incorrupta, et solidas doctrinas tenentes, novos investigationum progressus sollicite persequi ne spernatis.

Hac studiorum amplitudine et apta temporibus accommodatione illecti alumni ex toto Orbe terrarum in posterum etiam, ut fore omnino confidimus, ad vos convenient magno numero, certa spe freti posse se in hac Alma studiorum Matre perfecta illa institutione donari, qua valeant in sua quisque natione apostolicum munus explere. Sentiant, dum vestras scholas frequentant, eam animorum coniunctionem qua voluntates ad idem munus conglutinantur et Ecclesiae unitas per caritatem ad vivum exprimitur. Etenim hac nostra aetate, si alias unquam, consociati conspirantesque singulorum labores, non vero disiuncti, victoriam de hostibus consequentur. Deerit autem, ut probe nostis, et laborum conspiratio et plena certaque victoria, si proelium contra erroris et peccati nequitiam non uno duce Christo et eius in terris Vicario committatur.

Sit denique haec Universitas Studiorum, quae a Magno Pontifice appellata est Gregoriana, reapse semper Pontificia, quod facile vobis erit, cum sitis cum Romana veritatis Cathedra ita propinquitate finitimi, ut ex hoc fonte ipso possitis incorruptam veritatem haurire. Sancti Ignatii, Collegii Romani conditoris ac patris, vestigia sequentes, qui mirabiles illas regulas « ad sentiendum cum Ecclesia » tradidit et sua vita expressit, teneatis firmiter Christi doctrinam, quae integra servatur infallibili Petri Cathedrae Magisterio, integra traditur.

Concedat Deus propitius, ut ex huius Universitatis scholis prodeant in apertum apostolatus campum novae semper sacerdotum turmae, quae cum reconditiore doctrina copulent studium animarum, quae non sibi gloriam conquirant, sed Iesu Christo, et aeternam hominum salutem, nulla habita patriae ratione, nullo praetermisso labore, nulla non fortiter sublata, etiam vitae, iactura.

Concedat et Beatissima Virgo Maria, quam « Sedem Sapientiae » invocatis et Patronam, ut memores beneficiorum et rerum superiore

aetate gestarum, traditas vobis a maioribus doctrinas atque virtutes, studium praesertim ac fidem erga Apostolicam Sedem, tanquam gloriosam hereditatem servetis integram iidemque posteris tradatis.

Quarum salutarium rerum sit auspex Nostraeque benevolentiae testis Apostolica Benedictio, quam tibi imprimis, dilecte fili, ac singulis universis Gregorianae studiorum Universitatis moderatoribus, magistris et alumnis paterna caritate impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XII mensis Augusti, anno MDCCCCLIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.

PIUS PP. XII

II

AD EXCMUM P. D. MARTINUM IOANNEM O'CONNOR, EPISCOPUM TIT. THESPIENSEM, RECTOREM PONTIFICII COLLEGII FOEDERATARUM AMERICAE CIVITATUM IN URBE.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Cum Foederatarum Americae Civitatum Antistites consilium susceperunt suum Pontificium in Urbe Collegium in Ianiculum collem transferendi eique ibidem ampliorem exaedificandi sedem, amplissimam Nostram habuerunt gratulationem. Sacrorum enim alumnis qui tuae, Venerabilis Frater, nunc curae et vigilantiae commissi sunt, latiores patere aedes peropportunum iudicavimus, neque parvo duximus hoc fore emolumento nationi vestrae, ubi, largiente Deo, catholici nominis robur et decus increbrescunt. Quam quidem nationem vestram tanto meritae prosequimur benevolentiae affectu, ut, quod ei prodesse videatur, nullum umquam praetermittamus officium. Quemadmodum igitur fausta adprecati sumus Collegio vestro cuius novam consurgentem molem laete oculis Nostris e Vaticanis aedibus adspeximus, ita nunc id feliciter conditum gratulamur. Floreat id alumnorum frequentia, niteat virtutis et doctrinae clarioribus usque ornamentis. Qui istic in cleri spem succrescunt, saepe secum recogitent quantum Dei liberalitati et gratiae sit tribuendum, cum copia eis detur Romae divinis et humanis disciplinis mentem animumque imbuendi. Quodsi almae huic Urbi est gloria, quae quidem consenescere non potest, humanitatis lumen gentibus se invexisse, cumulatior ei est honor, cum facta fuerit fidei magistra, evangelicae veritatis et pacis toto terrarum orbe divitias dispertiisse. Christianae Historiae, cuius hic cardo

vertitur, volventes annales ac monumenta, quae multa hic exstant, studioso considerantes obtutu, Deo ac Nobis dilecti iuvenes, gentis vestrae flos, velint divite haustu suam augere Romanam fidem, quam laudavit gentium Apostolus (cfr. Rom. I, 8), suam erga Romanum Pontificem cotidie magis observantiam pietatemque alere, et ab eis incitamentum sumant, qui hac in alma Urbe caritate, ingenio, constantia, utilitatum suarum despicentia ceterisque virtutibus supernae obsecuti sunt voluntati atque sapientiae plena perfecerunt consilia. Dum itaque supplicibus votis Deiparam Virginem Mariam invocamus, cuius in tutelam Collegium istud tradimus, ut id adsiduo praesidio suo communiat, tibi, Venerabilis Frater, ceterisque moderatoribus industriae tuae auxiliatricem operam navantibus et universis alumnis, qui nunc sunt et qui in posterum advenient, itemque iis omnibus qui sollicitudine, prece, largitate de eodem Collegio egregie meriti sunt ac merebuntur, Apostolicam Benedictionem ex animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XIII mensis Septembris anno MDCCCCLIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.

PIUS PP. XII

III

AD EM̃UM P. D. FRIDERICUM EPISCOPUM TUSCULANUM S. R. E. CARDINALEM TEDESCHINI, PATRIARCHALIS BASILICAE VATICANAE ARCHIPRESBYTERUM, SACRI CONSILII PETRIANAE FABRICAE PRAEFECTUM EUMDEMQUE SUUM DATARIUM, SEXDECIM A DIE NATALI LUSTRA FAUSTE IMPLENTEM.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Quum octogesimum aetatis annum propediem sis auspicato expleturus, hoc profecto laetabile eventum Nostra gratulatione secundisque ominibus prosequi et nobilitare placet. Immo eo libentius, quod ipse in iuventutis flore ex eodem studiorum instituto, ex quo Nos, sacram doctrinam hausisti, Nosterque socius et consors fuisti in hisce aedibus Vaticanis tam nobilium laborum, suavibusque arctisque amicitiae vinculis Nobiscum devinctus es. Exinde usque ad istam provectam aetatem, nullo non tempore Ecclesiae Sedique huic Apostolicae, quattuor Romanis Pontificibus fidelissime inserviens, sollertem adsiduamque operam navasti. In comperto sunt enim partes etiam graviores, quas in Officio publicis curandis Ecclesiae negotiis quondam sustinuisti, praesertim inter prioris magni belli

aestus atque calamitates, quas omni studio ac sollicitudine delenire atque allevare contendisti, dum catholicae in Italia iuventuti paterna vigilantia moderabaris. Notae sunt pariter curae, quibus Apostolici Nuntii munus in Hispania persolvisti, relationes inter Romanam Ecclesiam civilesque praenobilis illius nationis magistratus prudenter actuoseque fovendo. Quapropter Pius XI, ven. mem. Decessor Noster, te in amplissimum Ecclesiae Senatum adsciscere tibique Datarii officium concredere decrevit. Nos autem, qui plura iam tibi existimationis et benevolentiae testimonia publice protulimus, atque recens quoque Tusculanae Ecclesiae regimen tradidimus teque Legatum Nostrum a Latere renuntiavimus, ut Congressui ex omnibus nationibus Eucharistico praeesses, qui Barcinone tanto splendore et magnificentia superiore anno est concelebratus, octogesimi natalis tui sollemnia adaugere exoptantes, de diuturna vita tam nobiliter utiliterque transacta ex animo gratulamur, superna dona ac solacia a Deo instanti prece ominantes. Quo interea ex ista faustitate maiorem fructuum copiam fideles tibi commissi Tusculani percipere queant, tibi ultro potestatem tribuimus, ut, quo volueris die, post Sacrum pontificali ritu peractum, adstanti populo nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam eidem proponens, usitatis Ecclesiae conditionibus lucrandam. Caelestium denique gratiarum in auspicium, inque peculiaris Nostrae caritatis pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater Noster, tuis propinquis laborumque sociis cunctoque clero et fidelibus Tusculanis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die III mensis Octobris, anno MDCCCCLIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.

PIUS PP. XII

ALLOCUTIONES

I

*Iis qui interfuerunt Conventui internationali sexto de « Microbiologia », Romae habito.**

En ce mois de septembre, si propice aux congrès scientifiques, vous avez voulu, vous aussi, Messieurs, tenir à Rome votre VI[e] Congrès International de Microbiologie, organisé en sections et « symposia » d'une

* Die 13 Septembris mensis a. 1953.

manière aussi vaste que soigneuse, et venir, à cette occasion, Nous rendre visite. Nous sommes particulièrement sensibles à votre démarche, car, vous le savez, Nous ne ménageons pas Notre estime aux hommes de science et, en général, à tous ceux qui consacrent leurs forces aux idéals qui ennoblissent l'humanité.

Si l'on résume habituellement l'histoire de l'homme en une succession de guerres qui tuent sans pitié et souvent, hélas!, sans raison, il est d'autres batailles non moins meurtrières, plus ardues à mener et plus sournoises, celles qui se livrent contre des ennemis invisibles, les infiniment petits, les microbes. Un ennemi d'apparence bien inoffensive, cependant, dont les dimensions varient de quelques millièmes à quelques millionièmes de millimètre, mais doté du pouvoir de se multiplier avec une rapidité prodigieuse et d'élaborer de redoutables toxines, qui empoisonnent et souvent détruisent l'organisme qui s'est laissé envahir.

Saura-t-on jamais ce qu'était aux époques antérieures la terreur des malheureux, sur qui s'abattaient les épidémies; des villes, des pays se dépeuplaient en quelques semaines, faute d'un remède capable d'arrêter le mal, en neutralisant sa cause. L'un de ces fléaux, le typhus exanthématique, dont les victimes se sont comptées par millions, semblait si intimement lié au sort de l'humanité qu'on lui a donné le nom d'« historique ». Déjà dans l'Antiquité, l'historien de la guerre du Péloponèse, Thucydide, a tracé de la « peste d'Athènes » une description fameuse et tragique dans sa précision. Mais il a suffi pour tracer la voie à des mesures prophylactiques efficaces que Charles Nicolle découvrît quel insecte transmettait le microbe responsable. Depuis lors la pratique systématique de la désinfection a supprimé l'une des conséquences les plus meurtrières qu'entraînaient presque inévitablement les guerres du Moyen-Age et des temps modernes.

A présent, peste, typhus, choléra, variole ne sont presque plus, dans les pays d'Occident du moins, que des noms sur lesquels plane encore un sentiment d'effroi, le souvenir de catastrophes lointaines et celui des héros, qui n'ont pas hésité à exposer et à donner leur vie pour venir au secours des infortunés. Aujourd'hui, on connaît les agents de ces maladies, on sait comment les empêcher de nuire et surtout prévenir leur invasion. De vastes laboratoires, datés d'équipements modernes, fabriquent en abondance vaccins et sérums qui fourniront à l'organisme le moyen de lutter efficacement contre l'infection. Au XIX[e] siècle déjà, mais surtout ces dernières années, on a remporté aussi des succès spectaculaires. Que de vies sauvées par l'emploi des antibiotiques, en particulier pendant la dernière guerre!

La microbiologie se glorifie donc avec raison d'avoir rendu des services éminents aux hommes, services tellement connus et appréciés qu'il n'est pas besoin de Nous y étendre plus longuement.

Mais à cette utilité pratique, elle joint encore un intérêt scientifique des plus vifs. Pour le simple motif d'abord que l'homme se passionne aisément pour tout ce qui concerne le mystère de sa vie, et les microbes sont, en bien comme en mal, intimement liés à la nôtre. Et puis, au fur et à mesure que l'on étudie les êtres les plus élémentaires, on découvre avec stupeur que, sous leur simplicité apparente, ils renferment encore une prodigieuse complexité et posent des problèmes, dont la difficulté stimule le chercheur et aiguise sa curiosité.

Histoire captivante que celle de votre science ! L'existence des microbes est affirmée au XVI^e^ siècle par quelques précurseurs et prouvée au XVII^e^ per le naturaliste Van Leeuwenhoek, qui pour la première fois utilise à cette fin le microscope. Mais ce n'est que depuis un peu plus de cent ans que l'on connaît leur rôle dans la genèse et la transmission des maladies infectieuses. En 1835, en effet, après vingt-cinq ans de recherches patientes sur une maladie du ver à soie, et grace à l'application d'une méthode expérimentale rigoureuse, Augustin Bassi da Lodi démontrait clairement les propriétés pathogènes d'une cryptogame parasite. Depuis lors, une avance rapide, jalonnée de découvertes célèbres et de noms illustres, comme ceux de Pasteur et de Koch, a permis à la microbiologie de se constituer en un corps de science imposant. Pourtant quelles recherches délicates et compliquées ! Il s'agit d'observer et de décrire les formes de la vie les plus ténues et les plus fugaces, des êtres extrêmement rudimentaires parfois, dont les diverses fonctions s'exercent par des organes à peine différenciés. Après un siècle de travail, on est arrivé à une connaissance suffisante des micro-organismes et de leurs caractéristiques morphologiques et fonctionnelles. Cependant, malgré les instruments d'optique, malgré le microscope électronique, dont les grossissements vont jusqu'à cinquante mille fois et permettent de photographier les virus les plus petits, que de points encore obscurs, que d'inconnues encore au sujet de la structure des microbes, de leur composition chimique, de leurs variations, de la manière dont elles exercent leur pouvoir pathogène!

On doit s'émerveiller cependant devant l'ingéniosité des moyens d'investigation : le choix et la composition des terrains de culture, les méthodes d'isolement, les techniques de coloration, l'expérimentation sur l'animal. Pour chacun de ces micro-organismes, il a fallu employer des procédés adéquats, observer leur comportement, l'évolution des souches,

car ces êtres vivants se modifient, acquièrent de nouvelles propriétés, développent devant les attaques, dont ils sont l'objet, de nouveaux moyens de défense : on connaît bien les cas de résistance aux sulfamides et aux antibiotiques. Les ressources propres à la vie apparaissent ici de façon encore plus frappante que chez les êtres supérieurs. Ne faut-il pas souligner la propriété de certaines espèces bactériennes qui, pour assurer leur reproduction, forment des spores revêtues d'une épaisse membrane et se rendent par là capables de résister aux agents externes physiques et chimiques, à la dessication, à la lumière solaire, aux températures élevées.

L'une des plus intéressantes conquêtes de la microbiologie, où se sont déployées toutes les ressources de cette science, est certainement la découverte et l'étude des virus filtrables. Les maladies qu'ils provoquent ont pu être combattues avant que l'on connût leur nature exacte. Jenner et Pasteur ignoraient que la variole et la rage fussent différentes fondamentalement d'autres maladies infectieuses. Mais depuis le début du siècle, des recherches sur la filtrabilité de ces germes ont permis de déterminer leur taille et, grâce à l'emploi de techniques variées, comme la centrifugation, la polarisation rotatoire, la diffraction aux rayons X, d'acquérir des données plus précises sur leur forme. En 1935 on découvrait non sans étonnement un virus sous forme de produit chimique pur et cristallisable ; ainsi surgissait la question difficile de la nature des virus. Après que certaines théories eurent tenté de les assimiler à des mollécules géantes de nucléo-protéine, le microscope électronique permit enfin de les voir et d'observer chez les plus gros d'entre eux certains détails de structure, qui firent évoluer les théories vers des positions plus nuancées. S'agit-il d'êtres possédant une vie rudimentaire, réduite à l'extrême et dotés de la seule fonction de reproduction? Ont-ils une origine indépendante, ou sont-ils des formes filtrables dérivées d'organismes cellulaires? Questions dont l'étude est sans doute réservée aux spécialistes, mais dont l'intérêt scientifique n'échappe pas aux esprits cultivés, et qui même, occasionnellement, intéressent le grand public. A ce propos, Nous Nous plaisons à mentionner expressément la Microbiologie appliquée à l'agriculture, la Microbiologie industrielle et des fermentations et la Microbiologie marine, elles aussi admirables conquêtes de l'activité humaine pour le progrès scientifique et industriel.

Les aspects de la microbiologie, que Nous venons de parcourir rapidement, mettent en relief mieux que de longues considérations les qualités intellectuelles et morales requises de ceux qui s'y consacrent,

et parmi lesquelles Nous soulignerons volontiers la ténacité. Qui dira le courage et la persévérance du savant appliqué durant des dizaines d'années à une même recherche, se heurtant à d'invisibles obstacles, épuisant ses ressources à l'invention de nouveaux procédés d'investigation, plus précis et plus rapides, à l'affût du détail infime qui renferme la clef du problème et semble se jouer de ses ruses les plus raffinées. Tous les grands savants l'ont éprouvé et plus d'un l'a répété avec force : telle ou telle réussite est le fruit de longs efforts systématiques et d'une infinie patience. Si le hasard vient parfois avancer l'heure de la découverte, il n'en est jamais qu'un facteur tout à fait secondaire, car il ne suffit pas de voir, il faut encore comprendre la portée du phénomène observé et en tirer tout le parti possible. Aussi, soucieux des développements ultérieurs de votre science, et des services précieux qu'elle peut encore rendre aux hommes, vous ne céderez pas aux tentations de facilité, à la fatigue, au découragement. Il est incontestablement plus aisé d'affirmer sans preuves suffisantes, que d'avouer l'état encore hypothétique de telle connaissance ou d'organiser à grand peine une expérience décisive.

Vous saurez aussi accepter la vérité d'ou qu'elle vienne, même si elle condamne vos propres hypothèses. La modestie du vrai savant ne manque jamais de susciter l'admiration et garantit plus que beaucoup d'autres facteurs le succès de son travail. Cette soumission au réel le préservera de l'étroitesse d'esprit, si affligeante chez un homme consacré aux travaux intellectuels, et lui permettra d'accepter les limites de sa spécialité, et par le fait même de les dépasser.

Enfin, il n'est pas possible d'étudier attentivement la nature sans découvrir sans cesse dans sa fécondité inépuisable, dans la complexité et la délicatesse des êtres même les plus humbles, dans l'ordonnance totale des différentes espèces végétales et animales et leur relation à l'homme, un reflet, voilé sans doute, mais toujours perceptible de la perfection du Créateur.

Dieu, source de toute existence, se dérobe aux sens, mais il faut aller vers Lui par une démarche de l'intelligence et du cœur. Vous avez la joie de scruter de près son œuvre, mais surtout de devenir les collaborateurs de sa Providence paternelle. A côté de ses fins intellectuelles, en effet, votre science est ordonnée, comme Nous l'avons montré, à la sauvegarde de la vie humaine. Que le souvenir de ces inestimables bienfaits, de tant d'hommes préservés de la maladie ou arrachés à la mort, vous soit un stimulant dans l'austérité de vos occupations quotidiennes. Vous y trouverez le courage inlassable, qui va de l'avant malgré les échecs et les désillusions. De grands progrès restent à accomplir, des

découvertes nouvelles éclaireront mieux le mode d'action des germes pathogènes et permettront de les combattre avec plus de succès encore, sans parler des applications importantes de ces acquisitions scientifiques dans le domaine agraire et industriel. Les conquêtes de l'avenir apporteront, Nous osons l'espérer, des résultats aussi lourds de conséquences que ceux dont vous pouvez vous réjouir à présent.

Daigne l'Auteur de toute vie, vous donner avec l'intelligence profonde de son œuvre, le désir d'apporter une aide toujours plus appréciée à tant de souffrances humaines. Qu'Il bénisse vos personnes, vos familles, vos collaborateurs et tous ceux qui vous sont chers.

II

*Sodalibus Ordinis S. Benedicti, qui Conventui e Congregationibus Confederatis Romae interfuerunt.**

Omnibus probe cognitam Benedictinorum sodalium erga Apostolicam Sedem observantiam atque reverentiam, a Legifero Patre suo traditam, hodie luculenter confirmat praesentia vestra, dilecti filii, quam amantibus verbis perplacet nunc Nobis consalutare, quaeque animum Nostrum haud mediocri afficit solatio et gaudio.

Gravis et magni momenti causa vos ad hanc Urbem christiani nominis principem undique adduxit. Convenistis, siquidem, ad normam Legis vestrae Confederationis propriam, ut per opportunos habendos coetus, coniunctis consiliis ac studiis, eas simul expenderetis quaestiones, quae ad provehenda Benedictini Ordinis rationes atque incepta maxime pertineant, adeo ut inclitum Institutum vestrum novis insurgentibus necessitatibus occurrens, suis obeundis muneribus aptius evadat, auctioribusque in dies gaudeat incrementis.

Concordem huiusmodi sociamque operam, quae ob temporum rerumque adiuncta expostulari omnino videtur, atque ad firmanda inter omnes Benedictinorum familias vincula apprime conferet, Nos profecto et merita honestamus laude, et fervidis votis ominibusque gratulando prosequimur.

Nobis enim in comperto est, quam provido sane consilio Decessor Noster fel. rec. Leo XIII prospexerit ut variae Benedictinorum sodalitates vinculis coalescerent fraternae Confederationis, cuius fructus, uberrimos quidem, testantur et increscens in dies sodalium numerus et auctum per hoc temporis spatium Benedictini Ordinis nomen et decus. Quapropter

* Habita die 24 Septembris mensis a. 1953.

Nos ipsi, occasione data, ad hanc studiorum coniunctionem vos enixe non semel adhortati sumus, sive Litteris Encyclicis die XXI mensis Martii anno MCMXLVII, quarto decimo revoluto saeculo a S. Benedicti obitu, sive sacro sermone die XVII mensis septembris eodem anno in Basilica Ostiensi habito, sive etiam Apostolicis Litteris quibus elapso anno Legen propriam Benedictinae Confederationis auctoritate Nostra confirmavimus.

Optandum igitur est obsecrandumque, ut uberrimis gratiae suae auxiliis Deus vestros fortunet conatus, inceptisque bonos optatos det exitus, non Ecclesiae tantum sed ipsi civili hominum consortioni verissime profuturos. Quis enim Ecclesiae civilisque cultus fastos revolvens, vestri Instituti ignorare potest egregia promerita, ac summopere non aestimare salutiferum illum christianum afflatum a S. Benedicto, non sine providentis Dei consilio, excitatum? Quo quidem afflatu compulsae, olim innumerae monachorum cohortes non gladiis et bello, sed Cruce et aratro, caritate et veritate, ubicumque invexere Evangelii lumen, atque barbaros Europae populos ad leniores mores Iesu Christi praeceptis conformandos, ad pacem, ad concordiam, operosamque navitatem adduxere, ex qua nova humano generi affulsit aetas.

Quandoquidem vero hodie non pauci, in nonnullis praesertim Nationibus, a recta eiusmodi aberrarunt via, mirum non est tot eos tantisque periculis iactari, laborare calamitatibus, discordiaeque impulsionibus miserrime disiungi. Necesse igitur est, ut quem maiores vestri tam eximia laude in commune populorum bonum susceperunt laborem, eum vos hodie, praesentibus necessitatibus aptatum, alacriores cotidie studio iterum iterumque suscipiatis; Benedictinum enim Institutum vestrum salutiferam illam vim in praesens etiam elicere valet, quae ingruentibus malis opportunum queat praebere remedium, atque divinae liturgiae, monasticae disciplinae et evangelicae virtutis incremento, ad christiani nominis emolumentum magnopere conferre possit.

